

# INSVLÆ MINORES ANGLIÆ ADIACENTES.



Ram jam tandem ex Anglia solvam, & in altum proventus insulas circa eam sparsas perlustrabo. Si mihi considerem, aut qua in me esset facultas, adirem singulas: verum cum antiquitatem eruere nostri sit instituti, quæ obscurioris sunt notæ perstringam, quæ antiquioris sunt nominis invisam, & tantisper illis immorabor: ut nunc demum bonis auspiciis in suam afferantur antiquitatem.

Vt verò ordine, & recta quasi nave hæc insti-  
tuatur navigatio, primùm in Sabrinianum fre-  
tum vela faciam, & Hibernia Scotiaque relictis  
in Oceanum Germanicum descendam, inde per  
mare Britannicum, quod ad Hispaniam usque  
pertinet, cursum quām possum secundissimè  
tenebo. Male tamen metuo, ne hæc antiquita-  
tis navis, cūm me parum perito utatur navicu-  
latore, vel ad errorum scopulos allidatur, vel  
ignorantiae fluctibus opprimatur: sed audendum  
est, τέλη, inquit Antiphilus, νεῶν ἀρχηγὸς, & qui  
secundò naviget, fortasse multo fœlicius cursum  
conficiat.

Primum autem cum à re minimè alienum vi-  
deatur, proponam quod Plutarchus ex fabulosa  
Demetrii relatione qui Hadriani temporibus vi-  
xisse videtur, refert generatim de insulis Bri-  
tannicæ adjacentibus: Demetrius narravit earum In-  
sularum, quæ sunt prope Britanniam, plerisque desertas es-  
se & sparsas, quarum nonnullas Demonibus & heroibus es-  
se dicatas: sese autem cognoscendi visendique causa, Impera-  
tore mittente, navigasse ad unam desertis proximam, pau-  
cis habitatam cultoribus, quos Britannis sacrofancos &  
inviolatos omnes esse accepit. Non multo autem post quam  
eò venisset, sœdam cali perturbationem, & prodigiosam  
tempestatem eò coortam, procellas in abruptum lapsas ce-  
cedisse, ardentium fulminum jactus fuisse, quibus sedi-  
tis, Insulanos dixisse, aliquem è prestantioribus interiisse.  
Et paulò post: Iam verò illuc Insulam quandam esse di-  
xit in qua Saturnus carcere clausis à Briareo custodiatur  
sopitus, somnum illi pro vinculo esse, multos autem ei Dæ-  
monas esse circumpedes atque servos adstare. Sic libuit  
olim, ut etiam hodie, de locis remotissimis mi-  
randa & fabulosa quadam mentiendi securitate  
audacter configere.

In Sabriniano freto primum eminent duæ in-  
sulæ exiguae, quarum nobis altera, quod plana-  
sit, & projecta, Flatholme ea significatione, qua  
Planaria Italiæ: altera Stepholme, quod acclivis,  
Britannicè Reoric: ambæ Britannico sæculo Echni,  
uti nostro Holmes appellatae. Sic enim planities  
herbidas aqua circumfusas vocarunt Anglo-Sa-  
xones; nec alia re olim celebres fuerunt quam  
Danorum stationibus, & Gualchi eximiæ pietatis  
Britanni sepultura, cuius discipulus Barruchus,  
Barry insula in Wallia nomen reliquit (ut Landau-  
ensis ecclesiæ antiquum testatur monumentum)  
quæ itidem Barrorum familiae nobili in Hibernia  
Britannia.

Flathol-  
me.  
Stephol-  
me.  
Holmes  
quid An-  
glis.

Barry.  
Giraldus.

nomen fecit. Adjacentem habet Silly insulam Silly.  
exiguam in littore Silurum quorum nominis  
plusquam umbram retinere videtur, ut oppidu-  
lum è regione in agro Glamorgan, Siluram tamen  
vel Silurum insulam, cuius meminit Solinus,  
non ausim affirmare, cum ejusdem nomi-  
nis sint aliæ, sed à Siluribus longius distitæ in-  
sulæ.

Inde Caldey est, Britannice Inis pir, littori satis Caldey.  
vicina, & huic è regione magis in alto Londrey ad Londrey.  
Devonensem agrum spectans, à cuius promon-  
torio Hert-neß xiiii abest milliaribus. Hæc am-  
plior habetur, nec tamen multo plus duobus  
mille passuum longa & mill. pass. lata perhibe-  
tur, cautibus ita præcincta ut non sit nisi unus &  
alter aditus. Munitum habuit, cuius ruinæ, ut  
etiam Sacelli S. Helenæ sacri etiamnum conspi-  
ciuntur. Quod olim aratro proscissa fuerit sulci  
loquuntur, nunc totus fructus est è volatilibus  
marinis quibus abundat. Arbores habet nullas  
præter sambucus malè olentes quas sturni tanta  
multitudine frequentant, ut vix præ eorum simo  
ad eas pateat accessus. Sed quid ego hæc? cum  
sic olim descriperit Thomas De-la-Mere ex ordi-  
ne Equestri, dum enarrat quomodo misellus  
Rex Edwardus II, cum importuna uxori, & tu-  
multuantes Proceres minas jactarent, & terro-  
res denuntiarent, huc se tanquam in perfugium  
subducere cogitarit: Londay (inquit ille) est insula  
in Sabrina ostio duobus mill. undique longa, abundans  
pasculis amoenis, cuniculos producit copiosè, columbas, &  
struconas (quos vocat Alexander Nechamus Ganymedis  
aves) in dies habet pregnantes, aquas insuper recentes de  
fontibus scaturientes incolis ministrat, ipsa licet undique  
mari sit circumincta: unum duntaxat aditum habet, quo  
vix duo viri poterint conjuncti pedites incedere: ex omni  
alia parte rupis horrendæ alta proëminentia prohibens in-  
gressum. Vix autem apud historicos nostros me-  
moratur, nisi quod Guilielmus de Marisco pirata  
perditissimus has oras regnante Henrico Ter-  
tio, hinc olim infestas reddiderit, & regnante  
Edwardo Tertio, pars erat hæreditatis Luterel-  
lorum.

Inde in Penbrochiensis agri flexu Gresholme, Gresholme-  
Stockholme, & Scalmy occurunt satis graminosæ, Stockhol-  
& thymo agresti admodum lætæ. Scalmy Plinii  
fuisse SILIMNV M olim existimavimus, sed  
hanc nobis veritas jam immutavit sententiam. Stockhol-  
me, &  
Scalmy.  
Silimnus.  
Silimnum enim illum Plinii, LIMNI Ptolemæi  
ex verbi cognitione verisimile est; hanc esse Bri-  
tannorum Lymen ipsum pro me vocabulum edo-  
cet, cui Anglus hodie novum nomen, Ramsey Ramsey.  
scilicet, inscripsit. Hæc S. Davidis Episcopali  
sedi objacet, ad quam spectat, & Iustiniani cu-  
jusdam viri sanctissimo fato, superiori sæculo in-  
primis celebris erat, qui cum ex Britannia Are-  
morica in feracissimo Sanctorum sæculo huc se  
recepisset, & totus Deo defixus diu solitarius vi-  
xisset, tandem à servulo peremptus, in Marty-  
rum catalogum fuit relatus. In cuius vita hæc  
Leme-